IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 156r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



loquendi hesitationem cordis sui, quam habuit in hoc miraculo et in hoc distinxit et separauit hoc miraculum a ceteris in quibus nullomodo dubitauit, turbatus enim moyses murmure populi infidelis non tenuit fiduciam, quam debuit propter quod statim fuit a domino reprehensus et in penam l. ab ingressu terre promissionis exclusus quod quia moyses non sponte fecit sed eorum malicia prouocatus ideo tamen temporaliter non eternaliter punitus est Item populus ille peccauit quando cum filii israel intrassent terram promissionis non disperdiderunt gentes habitantes ibi sicut preceperat dominus ne ex eorum conuictu sceleribus eorum inuoluerentur et ad ydolatriam trahentur sicut factum est unde sequitur

Commixti sunt inter gentes terre illius contra preceptum domini et didicerunt opera eorum ydolis seruire filios ymolare iuxta ritum chananeorum et factum est illis in ruinam, et offensionem unde sequitur

Et ymolauerunt filios suos et filias suas demoniis latentibus in ydolis secundum consuetudinem illarum gentium

Et effuderunt sanguinem innocentem scilicet filiorum suorum et filiarum quas sacrificauerunt sculptilibus chananeorum

Et interfecti sunt spiritualiter gladio grauissimi peccati homines predicti habitantes terram effundendo sanguinem innocentem et ymolando illum ydolis et contaminati sunt in peccatis suis et polluti sunt adulteriis superstitionibus suis

Et iratus est furore i. grauiter ira dominus in populo suo et abhominatus est filios israel qui dicebantur hereditas eius quasi non curans defendere eum unde sequitur

Tradidit eos in manus gentium ydolatrarum et dominati sunt eorum qui oderunt eos

Et tribulauerunt eos inimici eorum et humiliati sunt i. afflicti sub manibus eorum resistere eis non valentes et nichilominus dominus usque pietate sua sepe liberauit eos

Ipsi autem hanc miram liberationis non attendentes